

1213, agost, 23

Girona, viuda de Bernat Canini defineix a Sant Daniel un solar que afronta amb el riu Galligants, a fi que li sigui celebrat un aniversari pel seu marit.

ASD núm. 81, perg. orig., 185 x 115 mm.

Sit notum cunctis quod ego Gerunda, uxor Bernardi Canini qui fuit et filius meus Bernardus Canini, per nos et per omnes nostros et nemine cogente set gratis et ex certa scientia propter remedium anime Bernardi Canini et animarum nostrarum donamus, soluimus et diffinimus et liberando in presenti tradimus Deo et ecclesie Sancti Danielis in manu et potestate de te Agnete, Dei gratia ipsius ecclesie abbatissa et de conuentu ipsius ecclesie omnem illam triliam cum arboribus omnium generum et cum omnibus in se habentibus uel ad se aliquo modo pertinentibus sicut tenet de illa carraria que uadit apud Gerundam et uadit usque ad medium riuli Gallicantus que tenemus per eundem Sanctum Danielem quam eciam fatemur predictae ecclesie de Bernarda Canini condam dimity et solui. Sicut melius potest dici, intelligi siue ab aliqua sapientissima persona excogitari ad utilitatem et comodum predictae ecclesie et in ea habitantium, sic integre et sine aliquo retentu ei et tibi iamdicte abbatisse et conuentui eius iamdictam triliam cum omnibus in se habentibus uel ad se pertinentibus et quicquid ibi habemus uel habere debemus aliquo modo in perpetuum diffinimus et soluimus, et sic de nostra iure ea omnia in ius et dominium predictae ecclesie tradimus ad quicquid habitantes in ea uoluerint faciendum, omnibus nostris uocibus et rationibus ibi et inde in perpetuum extinctis penes dictam ecclesiam remanentibus, et si quo iure scripto uel non scripto uel aliqua exceptione huic contractui in futurum obuiam ire possemus, illi iuri per nos et per omnes nostros penitus renuntiamus. Rogamus etiam quod aniuersarius(sic) predicti Bernardi Canini fiat semper in predicta ecclesia et omnium nostr<or>um.

Actum est hoc .x. kalendas septembris anno Domini .MCCXIII.

Sig+num Gerunde, qui hoc firmo firmarique rogo. Sig+nm Bernardi Canini tintoris. (*s. man.*) Bernardus Cani:ò.i, qui hoc firmo.

+Barnerius presbiter*. (*s. man.*) Berengarii presbiteri et clauigeri*.

(*s. man.*) Raimundus presbiter qui hoc rogatus scripsi cum litteris emendatis in .xv. linea, die et anno prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 192-193